

MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

*Specialis numerus
totus de Latinitate, qualis sit colenda
variis sententiis exemplisque exhibitis*

... INSTAR ADAMANTIS: hac comparatione finivi editoris scriptum proximi superioris fasciculi ad adumbrandum qualis sermo Latinus Melissae moderatoribus videretur adhibendus esse.

De qua re praecipue tractabitur in hoc fasciculo. Varii textus benevolentibus lectoribus proponentur, quibus non solum auctorum sententia de quodam arguento conferatur sed etiam multifaria exemplarische lingua Latina ostendatur.

Nobis maximi momenti videtur Latinitatis continuitas. Auctores antiqui sunt perpetui fontes totius Latinitatis posterioris. Grammatica, quae dicitur classica, ex illorum scriptis definita, manet Latinitatis spina dorsalis.

Quantum miraculum est tabulam aeneam Altaris Galliarum aspicere atque easdem litteras invenire quibus adhuc cottidie utimur. Quantum gaudium: sententias facile intellegere, momento temporis una esse cum atavis nostris. Quantum momentum habent hae innumerabiles inscriptiones Latinae, quas in monumentis omnis aevi ubique Europae adspicere possumus.

Norma classica omnibus cuiuscumque sunt gentis est noscibilis. Eius usu confirmatur Latinitatis universalitas.

Quantum emolumentum: superata gentica condicione, novos populares invenire, quibuscum communem habemus linguam.

CONINVITATEM UNIVERSALITATEMQUE

linguae Latinae respicere est via quam sequi perget Melissa.

Gaius LICOPPE

R^EBEM NECTAMENDOM^ES^IC^ISSVCCES
P^ER VENERE ALIENI ET QVIDAM EXTR^EM^A
TEX SABINI SVENIENS VICI NVS^OV^E
MARCIOPRIS CVSTARQVINIVS
MQVODPATRED MARATHO
ENSIMAT REGENEROSA S^EDIN^O
VERIT^SVCCVM BERECVM DOMIRE
BVSPOSTQVAM ROMAM MIGRAVIT
/ E^ET FILIO NEPOTIV^EEIVS NAMET
SERVVS SERVIV^ST^EFLIVSS IN OSTR^O

*Aenea tabula Claudia Lugduni servata
(a. 48 p.C.n.): haec est Latinitas aeterna.*

EPISTULAM APERTAM

IIS MAGISTRIS, QUI REI NOSTRAE ADVERSANTUR

SCRIPSIT ROBERTUS DEPREZ*

Haud raro, horresco referens, audivi de linguae Latinae magistris qui aperte coram discipulis se Latinitati vivae adversarios profiterentur; nonnulli eorum, ut fertur, etiam eosdem discipulos prohibent se Latinitatis vivae fautoribus commiscere. Alii, ea quae non placent non videntes, non dubitant affirmare Latinitatem vivam non extare.

Quid sibi ista volunt? Omnes nos magistros olim in schola habuimus - egomet optimos - qui Latinitatem nos docuerunt. Non solum autem grammaticam et vocabulorum series in mentes nostras ingesserunt, sed etiam, quod multo nobilius est, *sensem Romanum*, ut ita dicam, nobis tum inscientibus tradiderunt. Non potest lingua a cultu quem vehit separari, neque cultus a lingua quam alit. Latine erudiri non est tantum *rosa - rosae - rosam* declinare, sed etiam certo modo cogitandi, decernendi ac dicendi assuescere et paulatim pristinam patriam Romanam, a Vergilio, Horatio et Ovidio cantam, recuperare. Qui linguam Latinam docet, curat ut Tiberis tamquam per agros in corda et venas discipulorum fluat, cum regulis grammaticis in aquis eius dilutis. Hoc optimi magistri sciunt, et faciunt. Cur ergo aquas illas Tiberinas aggere intercludunt, Latinitatem vivam recusantes, ne totam terram fecundent?

Sunt qui dicant: «satis est ut discipuli auctores antiquos legere sciant, locuto non opus est». Bene sit illis! Etiamsi hoc rectum sit, quomodo discipulos ad cursim legendum instituent, nisi prius illi discipuli linguae elementis uti didicerint? Nemo lectionis vere peritus est, si dictionem omnino ignorat. Quis fabulas Shakespearianas leget, si de via inquirenda Anglice rogare nequit? Nolo huiusmodi magistros ludificari, sed ostendant nobis, quae, illos discipulos qui, sermonis activi impotentes, aperto libro auctores classicos statim intellegant! Revera potius, maximis cum difficultatibus, unicuique verbo offendentes, semper magistri aut lexici auxilio egentes, paucas lineas unae horae spatio «legunt». Cum templum vel aliquod monumentum visitant, et inscriptionem Latinam vident, de quo agatur nesciunt. Si hoc est Latine scire, necesse non est disputationem pergere!

Sed ii tantum, qui Latine loquuntur et Latine cogitant, scripta Latina *intus*, ut ita dicam, intellegere et in auctorum animos introire possunt.

Verba autem non sunt tantum atramenti lineamenta, sed primum sonitus ex ore humano procedentes. Et sic venimus ad maximum detrimentum eorum discipulorum, qui a Latinitate viva abstracti sunt: voce vere Latina carent! De quantitate et accentibus nihil umquam audierunt et nullos modos in sententiis pronuntiandis observant. Non solum prosam irreverenter - et inscienter - trucidant, sed quid dicendum est, mehercle, de poesi? Ti-ty-ré-tu-pa-tu-lái-re-cu-báns-sub-teg-mi-né-fa-gi-syl-ve-strém-te-nu-úi-mu-zám-me-di-tári-ssa-ve-ná. Cum hoc audis, miraris quod poeta, qui tales versus scripserit, a posteritate laurea coronatus sit! Melius fecisset, si dolabram pro calamo usurpasset! Sed eheu, nulla est hic occasio iocandi, sed potius dolendi, plangendi et flendi donec oculi ex orbitis decidant! Quis magister hac horribili strage contentus esse potest? Is tantum qui linguae Latinae decoris omnino oblitus est quia eius usum amisit et verborum vitam quam ipse non iam percipit aliis tradere non valet! Qui autem in sermone cottidie versatūr, prosam naturaliter leget et normas metricas poeticas facilius discet.

*
* *

Sed haec omnia argumenti finem non faciunt. Quamquam litterae antiquae praecipua pars studiorum Latinorum sunt - et semper fore quis negabit -, asseveremus oportet eam linguam non mortuam esse et non solum ad res praeteritas pertinere, sed adhuc plene vivam et ad res temporis nostri prorsus congruere. De hac re dubitare omnibus licet; hanc rem respuere, si linguam Latinam quis se amare dicit, mirum mihi videtur! Quomodo possunt magistri, qui Latinitati docendae vitam suam voverunt, eam mortuam malle quam vivam? Qui aliquem amat, ei vitam denegabit? Num linguam quis amare potest, et simul verba eius sepelire? O insolitos amatores, qui magis quam spretores spernunt!

Oculos - et aures - aperiamus: tranquillo ac certo gradu, Latinitas viva in dies augetur; omnium



inceptorum hic mentionem facere non licet; commentarii periodici librique eduntur, canticibus compacti disci imprimuntur, nuntii per radiophoniam Finnicam transmittuntur. Num magistri haec omnia absque illis fieri cupiunt?


Romani veteres multa nobis tradiderunt, inter quae sermonem et litteras *aere perenniores*. Confidite, sodales: hic sermo, *sermo noster*, adhuc viget, et in futurum, omnibus nobis adiuvantibus,

amplius vigebit. Videte pontem Fabricium Romae: saeculo primo ante Christum exstructus, ad transitum hominum vehicularumque etiamnunc aptus est. Sic agitur de lingua Latina. Amicimagistri, pontem Fabricium inite nobiscum, et nolite in insula soli manere! 

* Robertus Deprez, iuvenis medicus, ante nonnullos menses factus est novus sodalis Latinus.

HODIERNAE POESIS LATINAE

EXEMPLA



DE MILITIBUS ILLIS, QUI "GALEAE CAERULAE" VOCANTUR
CECINIT ROBERTUS DEPREZ

*Dulce et decorum est pro patria mori;
at vos sodales, paciferas aves
atrox inermes immolavit
non patriae gladius sed orbis.*

"BREVITAS"
CECINIT JOSEPHUS TUSIANI

Timida anima mea
volat ad alia loca
ubi levis amor oritur
et alitur,
ubi rosa nitida olet
et iter hominis habet
finem.

DE NOVO LIBRO ARITUNEI MIZUNO 古典ラテン詩の精

Cum hic agatur de Musa hodierna, liceat de quodam libro in Iaponia nuper edito referre. Nemo enim nescit in Iaponia esse poetam Latinissimum, Arituneum Mizuno nomine. Titulus huius novi libri est "Anima Odarum Classicarum". Si quis cupit totum librum perlegere, utile erit Iaponice discere; nam opus imprimis pertinet ad lectores Iapones, quibus auctor (Iaponice) explicat Horatium Ovidiumque; pars autem altera constat ex carminibus lyricis, quae Arituneus Mizuno Latine cecinit ediditque. Exemplis Latinis, quae in hoc fasciculo proponuntur, facere non possum quin addam nobile exemplum Latinitatis Arituneanae; nonnullas lineas excerpti e commentatione separatim edita, qua poeta librum suum praesentans sententiam suam patefacit:

... Multo autem magis est mirandum quare communiter uolgoque credatur nouae cuidam opinioni insolitaeque, ut totum per terrarum orbem necessario sit Anglicitas illa ceterarum dominatrix linguarum suprema. meae quidem opinioni omnes eheu certe audebunt contra dicere. quod ergo re quidem credit neque ullo pacto dubitat Iaponia, quod credunt omnes respublicae non modo in progressu stantes, quod credunt etiam excultae, quas se putent, respublicae. etiam. numquid in Anglorum morem personant uoces earum gentium emissae, quibus innata non sit lingua ipsa

Anglorum? (...)

"Itaque, ut paucis uerbis addam de linguis recentioribus, aptiores quam Anglicitas ad Iapones sunt illae linguae quae sunt Francogallica Hispanica Italica. quarum certe linguarum pronuntiationibus consimilem sane in modum formati atque Iaponica, eo facilius est mutuo cum isdem populis colloquio inter sese intellegere. nec tamen harum linguarum unamquamque Romanticarum, licet uolgaris sit, re nihilo minus linguam certissime quandam Latinam esse, id quod mihi permolestum uidetur, umquam quidem sempiterna confirmataque cum conscientia omnibus animo occurrit. quae res eo etiam peior solet fieri, quod linguarum Romanticarum magistri suas orationes e consuetudine uix ullo pacto coniungentes habent cum Latinitate. qua de re liceat reri suo quemque more, at, quod in promptu est de re nostra, uix ulla est causa, cur Anglicitas ut lingua, cur Anglicitas ut cultus atque humanitas aut utilitate aut laude Latinitatem praestare iudicetur. quam nempe homines de ea facere soleant existimationem, haec non alia ratione nobis euenit nisi qua talis cursus discendi iuuibus coactu dari consuerit. sed nonne pigrioris indulgentiae est consuetudinem tamquam regem uenerari nulla re dubitata?"

(A. MIZUNO, *Quaenam sint grammatici de suis rebus sententiae*, pp. 5-6)

DE VITA AFRICANA

LATINA RELATIO

Melissa in Africa numerat satis multos amicos. Unus ex eis, qui propter intellegibiles causas non nominabitur, nobis narrat quid in Congo recente effecerit mutatio monetalis. E qua relatione eventisque recentibus patet vitam in multis Africæ regionibus esse valde difficilem.

Praebet autem auctor harum linearum exemplum Latinitatis, qualis esse possit: hoc enim textu lingua classica ostendit se cum vita hodierna congruere. Alia exempla aliisque Latinitatis habitus nobis postea prouonentur.

Nummum «zaïre» gubernium Birindwae, cum benedictione Mobuti praesidis, e commercio abstulit, eiusque loco nova signa introduxit, «nouveaux zaïres» nuncupata, ita ut Novum Zairum unum ter millies milia (3.000.000) veterum valeat. Tale opus natura sua difficillimum, sed et male praeparatum, pessime cogitatum, nimio brevi tempore perpetratum, ab hominibus qui gubernii habenas male tenent viam aperuit maxima fraudi, ita ut «inflatio monetae» quae dicitur, quae iam antea maxima erat, praeter omnem modum est facta.

In urbe mea mensae argentariae sedes una tantum exstat, quae regioni deservit cuius superficies 62.000 chiliometrorum quadratorum plus quam bis eam Belgii valet. Hoc significat plerosque incolas qui in parvis vicis vivunt per hanc amplam regionem sparsis, nullam habuisse viam permutandi suam pecuniam. Multi qui prope parochias vitam degunt, suam pecuniam sacerdotibus commiserunt ut iiraeda sua in urbem irent deferre. Huc in urbem magnis cum arcis perveniebant nummis plenis, sed finis laboris nondum erat. Aditus mensae argentariae aedium oppleti erant, ipsae aedes a militibus circumdatae ne fieret tumultus, ita ut qui ab ipsis ignoti erant nullam haberent facultatem introeundi. Saepius ipse eos comitabar ut in sedem argentariam trans militum praesidia et cancellos clausos introducerem. Intra aedificium, mensarum labore obruti, dies noctesque laborantes, nulla facultate facta ordine computandi ut solent omnem pecuniam sic allatam, fasciculos rapide dinumerabant, postea in ipsas capsas reponebant, clavibus iterum clausas, ipsis clavibus deferentibus redditis, donec postea, forsitan post annum, tempus eis daretur iterum debita cum cura computandi.

Pro parochiis, difficultatum alleviandarum causa, facultatem dederam omnem pecuniam in

computum mensarum oeconomatus meae curae commissum transferendi, ipse summas latus in creditum in eorum rationibus apud me. At non praevideram hoc modo me quasi omne pondus inflationis consecutuae esse toleraturum. Sed tunc caput operis erat ut alios quantum possibile adiuvaremus.

His difficultatibus addendum est nummi schedulas novas a Kinshasa missas non suffecisse ut omnibus debitum suppeditaretur; praesertim parvialoris schedulae deficiebant. Quae res et alia causa fuit quare in tabernis pretia mercium indebita augerentur, quoniam emptores non habebant unde pretia medii valoris solverent.

Quicquid id est, mercatura quae iam se male habebat, nunc omnino debilitata est. Multis in vicis, pecunia deficiente, emptio rerum iam fit permutatione. «Operatores oeconomici» qui dicuntur, quorum emporia iam vacua sunt (plurimi qui tempore mutationis monetae argentariam adire non poterant, veteribus suis nummis res omnimas comparaverunt), ea novis mercibus instruere non possunt. Animis etiam suis fracti sunt, quia res quae a multis iam annis male cedunt, nunc omnino putrefactae sunt.

Et nulla appetit spes emendationis. Sed et rei publicae curatores, qui nihil didicerunt, nisi ramum in quo sedent secare, eos omnimode persequuntur, vectigalia, tributa, omnisque generis taxationes exigentes. Sed omnes optime comperimus haec vectigalia in thesaurum non per ventura esse Rei Publicae, sed in eorum ipsorum loculos. Haec corruptio seu putredo omnes gradus administrationis inquinavit. Iudices etiam sine causa in carcere cives deprehendunt, eos postea, satisdato plurimo soluto, dimissuri. Procurator Rei Publicae nomen documento subsignare non potest, nisi mercede accepta. In causis iudicariis, is



victurus est qui iudices maiore pretio emere potuit. Huius modi exempla cotidie audire licet.

Haec causa est favoris praepositorum publicorum et curatorum quo Mobuti regimini faveant. Nescio qualis sit homo Tshisekedi, sed unum miror, cum inimicus sit multorum, numquam de eo auditum esse convicium quod publicas

pecunias detorserit. Si res ita sint, praecipua causa cur a Mobuto et ab eius amicis recusetur, integritas eius sit, quae timoris incitamentum omnibus sit improbis qui quaestus suos in corruptione hodierna inveniunt. Eorum nullo modo interest mutare res.

En causa etiam cur res facile componi non queant. ☙

FABULAM PYRAMI ET THISBES

NARRANT SEX DISCIPULI

Lingua Latina etiam pertinet ad inumeros discipulos qui a saeculis innumeris eam plus minusve gaudenter discunt. Alii abhorrent. Alii sustentant. Alii rapiuntur in enthusiasmum. Talis videtur esse condicio Ringonis Goossens, Triae Goethals, Isoldae Lasoen, Thomae Vandermarliere, Simonis Laureyns Timotheique De Clerck, in tertia classe

*scholae •Mevr. Courtmansschool• (in Belgica urbe Maldegem). His sex discipuli, postquam cum magistra Ingrida Desmedt Ovidium legerunt, sibi proposuerunt ut eius fabulas suis verbis narrarent. Quas sub rubrica *Melissae Scholaris* edendas benigne miserunt. Eis gratias agimus. Crescent atque fiant scriptores Latin!*

Pyramus et Thisbe, iuvenum pulcherrimus alter, altera praelata puellis, quas Oriens habuit, contiguas domos tenent. Tempore amor crescit, sed parentes vetant Pyramum et Thisben coire. Nutu signisque loquuntur. Inter utrasque domos tenuis rima est. Ubi hinc Thisbe, illinc Pyramus constiterant, dicebant: «Quid, paries, amantibus obstas? Cur non sines nos toto corpore iungi?» Una die statuunt ut nocte silenti foribus excedere temptent, convenient ad busta Nini lateantque sub umbra arboris. Thisbe prima pervenit ad tumulum et sub arbore dicta sedit. Subito leaenam videt, quae ad compescendam sitim in unda vicini fontis venerat. Thisbe timido pede fugit in antrum sed amictum relinquit. Cum lea in silvas redeat, tenues amictus videt et ore cruentato laniat. Pyramus serius egressus in pulvere vestigia certa ferae videt, totoque ore expallescit. Deinde vestem sanguine tintam reperit et clamat: «Thisbe, ubi es? Thisbe, veni», sed Thisbe non venit. Velamina Thisbes tollit et secum ad pactae arboris umbram fert. Deinde demittit ferrum in ilia. Arborei fetus adspergine caedis in atram faciem vertuntur et madefacta sanguine radix pendentia mora purpureo colore tingit. Illa, ne fallat amantem, redit, iuvenemque oculis animoque requirit. Pomi color incertam facit. Dum haeret, tremebunda membra cruentum solum pulsare videt. Retro vadit et tremit. Subito Pyramum cognoscit, amplectitur, fletum crux miscet et gelidis in vultibus oscula figit. Ad nomen Thisbes

oculos a morte gravatos Pyramus erigit visaque illa recondit. Thisbe constituit ut moriatur cum amore suo. Parentes orat ne ambos componi tumulo eodem invideant et ut arbor signa caedis teneat pullosque et luctibus aptos fetus semper habeat, gemini monimenta crux. Vota tangunt deos, tangunt parentes: nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater, quodque rogis superest in una urna requiescit. ☙



Pyramus et Thisbe Pompeii depicti

FLORIANUS CALDANI

CUR LINGUAM LATINAM IN RE ANATOMICA RETINENDAM CENSUERIT
SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

Exeunte saeculo XVIII°, ineunte XIX° eruditio Latina totum fere per orbem magno in discrimine versabatur; doctorum enim acervus opusculorum, quae vernis linguis erant conscripta, accrescebat in annos singulos, Latinus vero numerus magnopere imminuebatur.

Fuerunt quidem qui pro Latina lingua ubicumque fieri potuit retinenda propugnarent, ut Marcus Faustinus Gagliussus Ragusinus, qui celeberrimum illud Specimen de fortuna Latinitatis (Augustae Taurinorum, 1833) in lucem edidit. At loquelaevulgares quo maiores, eo minus revocandos fecerunt progressus. Studiorum autem universitates conversionibus hisce necessario obtemperarunt. Itaque per integrum fere semisaeculum alias Latina, vernaculae linguae alias in institutione academica obtinebant, prout publici huius provinciae administri aut illi favebant aut his sermonibus.

Ergo anno 1815°, cum academiae Lovaniensis, Gandensis, Leodiensis Belgicae renatae essent, lege cautum est ut preelectiones singulae universae Latine haberentur; nam Belgae ea se tempestate permiserant in potestatem Batavorum Latine, ut ipsis erat consuetudo, docentium. Eodem vero tempore academiae Anglicae sermonem Romanum detrectabant; nam Antonius Falck Batavus, cum orator Londinii moraretur, ad amicum fere haec (anno 1829°): «Scholae omnes, inquit, quotquot Londinii explicantur, nullo facto discrimine explicantur Anglice. Ceterum de eius universitatis fundatoribus non erat cur meliora speraremus; idem enim mos viget apud Oxonienses Cantabrigensesque. Nam paucis abhinc septimanis interfui alumnorum periculis pro gradu obtinendo, neque ullam equidem audivi vocem enuntiari Latinam.» Lingua et Germanicae vacillabant academiae.

Ipsae studiorum universitates Belgicae, quas dixi, excusso (anno 1830°) Batavorum iugo, sermonem Latinum statim reiecere, quo tamen profiteri professores Neerlandici plures per annos perrexere. Itaque Patavinum etiam gymnasium, studiorum universitas quae erat regni Veneti, multas eis temporibus rerum politicarum vicissitudines perpessi, non una stetit in lingua¹.

Nam cum esset dictionis Austriacae (a. 1798-1805), preelectiones fere omnes, inauguralibus exceptis orationibus, Italice habebantur. Inde vero ab anno 1808°, id est paucis post annis quam Galli regno Veneto sunt potiti (a. 1805-1813), Latinitas ipsam in academiam postliminio est reducta sermoque noster in iuris peritorum, medicorum, physicomathematicorum preeceptis tradendis in pristinam dignitatem paulatim est restitutus. Scholae vero medicae et anatomicae anno 1811° e decreto regio Latine explicari denuo sunt coptae. Qua data occasione Florianus Caldani Patavinus anatomices professor (1772-1836)², vir novis dominis non infestus³, cum preelectiones auspicaretur, decretum illud defendit et idem ostendit Latinam linguam rei anatomicae studiosis esse pernecessariam⁴.

Qua in re eis est usus argumentis, quae illius aetatis orationes pugnaces evolventi semel atque iterum occurrunt: esse sermonem Latinum stabilem, perpetuum, universalem talique sermone opus esse in re quae omnibus nationibus utilitatem afferat; nomina technica Graecis e fontibus detorta facilius exprimi Latine quam vernacule; nullam artem penitus excoli posse, nisi eiusdem cognoscatur historia, quae quidem Latinis sit consignata Italorum exterorumque monumentis; Latinam linguam, id est linguam sacrorum, convenire maiestati et sanctitati artis eius (antiquissimam enim esse quae exordia ceperit ab haruspicibus, sacram autem quae fabricam hominis Deo non absimilem investiget); arcana eius scientiae rudi popello non esse destinata, verum paucioribus, qui Latine sciant...

Caldanus ille non fuit novissimus anatomices professor in rebus Latinis multum versatus; nam eodem fere tempore floruit Fridericus B. Osiander, professor medicinae, qui divulgavit *Epigrammata in complures musei anatomici res quae versuum amore ductus fecit* (Gottingae, 1807)⁵; nostra quidem memoria floruit Iosephus Favaro (1877-1954), medicus anatomicus Patavinus, qui corporis dissectionem poetice descriptisit.





ueruntur enim nonnulli et iniuriosius queruntur Latii sermonem obsoletum iam in longum nimis aevum manuisse; diuturnam nimium aetatem et plurimum temporis postulare tantumque studium tamque multam operam in scientiis potius promovendis quam in litteris addiscendis impendendam esse contendunt. (...) Itane vero? Non me sane latet ac manifestum iam omnibus est quantopere recentes isti erudituli veterum iudicium reformident, quantum sibinovandi licentiam arroganter tribuant, cur nihil morentur quod centum iam perficit annos, praceptorumque doctrinas veluti nimis antiquas nostrisque inopportunas temporibus oderint atque fastidiant.» (...)

«Et re quidem vera cum in humani corporis descriptione stricta oratio ac limata partem quamlibet repraesentare debeat, in usibus autem definiendis naturae conciliatrixis opus detegere, quinam, ut Tullii verbis utar, dicendi est modus melior, quam ut Latine, ut ornate, ut ad id quodcumque agetur apte congruenterque dicamus? Nulla enim lingua post Graecam est nec ad depingendas rerum formas significantior, nec ad ornandas uberior quam Latina, quae tantam in vocabulis, si probe elegantur connectanturque, vim et granditatem p[re]se fert, ut paucis verbis plurima soleat perspicue eleganterque complecti. Silentio praetereo quod grande atque Ital[icus] dignum eloquentiae genus maiorum nostrorum expostulat celebratio, quorum anatomica inventa Latino idiomate per totum orbem diffusa ab exteris gentibus et linguis nostro sunt iure vindicanda. (...) Quid si organis nonnullis Latina verecundia descriptis nec mores laeduntur nec vetustissimae naturae leges, quae pudoris velamine vel in ipso brutorum genere mysteria sua abscondere solet atque contegere? Necessene est quae in nobis natura ipsa molitur, quaeque summo studio, perpetuis vigiliis, observatione, periculis innotuerunt, profano vulgo et mulierculis nota fieri nullo negotio? Annon potius utile est et decorum ea, quae tot laboribus consecuti sumus, tamquam arcana, Latino tantum sermone proferre?» (...)

«Equidem, cum rem ab eloquentissimis omnium clarissimisque viris diu quaesitam et plurimum disputatam considero, qui de communis linguae utilitate ac necessitate certabant, ut nempe artes ac doctrinae hominum generi salutares ubicunque terrarum facile innotescerent, id unice praestari posse confido usu linguae Latinae, quae omnium temporum est, omnium nationum, omnium locorum. (...) Parvi quidem nostrum interest cognoscere an Indorum maria pisces inhabitent colorum praestantia aut magnitudinis admirabilitate a nostris facilime distinguendi (...). Haec aliaque eiusmodi, cum ad totius humani generis incolumentatem minime conserant, in multiplici litterarum varietate fortasse

melius versari possunt et qualibet lingua evulgari. Id vero, quod ad salutem omnibus ac singulis natura datum est aut quod accuratiorem nostri corporis cognitionem pertingit, una eaque communi lingua dicendum arbitror ac disceptandum. Etenim si aut alicuius morbi causa apud Belgas noviter perspecta fuerit, aut non ante cognitas remedii cuiusdam vires repetitis periculis confirmarint Hispani, aut visceris officium diligentius a Germanis exploratum sit, quidni humano generi male consultum fuisse putandum est, si Belgium tantummodo certam morbi causam, medicinae speciem Hispania, exploratum membra officium Germania tantum cognovit?» (...)

- 1 Cf. M.C. Ghetti, «Struttura e organizzazione dell' Università di Padova dal 1798 al 1817», *Quaderni per la storia dell' Università di Padova*, 17 (1984), 135-182.
- 2 Cf. M.E. Cosenza, *Biographical and Bibliographical Dictionary of the Italian Humanists and of the World of Classical Scholarship in Italy, 1300-1800*, 1 (Bostoniae, 1962), p. 768; J.C. Poggendorff, *Biographisch-literarisches Handwörterbuch zur Geschichte der exacten Wissenschaften*, 1 (Lipsiae, 1863), col. 365; *Biographisches Lexikon des Kaiserthums Oesterreich* (...), 2 (Vindobonae, 1857), pp. 235-236. Caldani nomen memoratur etiam ab H. Tondini, «Linguam Latinam ad omnium doctrinarum commercium esse ubi vis aptam exemplis demonstratur», *Latinitas*, 3 (1955), 24-52 (p. 36). Caldanus et ob id de Latinitate bene meritus est, quod unus erat ex editoribus operum epigraphicorum quae scripserat Stephanus Antonius Morcellius (1737-1821).
- 3 Praefuit enim festis Patavii sollemniter celebrandis ob Napoleonom II, regem Romanum, recens (anno 1811) natum; cf. G. Quarantotto, «I versi di Francesco Combi per la nascita del Re di Roma», *Atti e memoria della Società istriana di archeologia e storia patria*, 43 (1931), 351-360. Ceterum ingens copia carminum (fere MCCC) ea occasione certamine litterario Parisiis indicto conscripta est; poetae autem Latini fuere Petrus Lebrocqy praceptor Gandensis, P.H. Martron Batavus, Aug. Fava Hastensis, P.A.M. La Tour Nannetensis, alii multi: cf. *Hommages poétiques à leurs majestés impériales et royales, sur la naissance de S.M. le roi de Rome*, recueillis et publiés par J.J. Lucet et Eckard (Parisiis, 1811). Caldanus autem in ea oratione, quam hic proposuimus, Eugenium Beneareanum (Eugène de Beauharnais), Napoleonis privignum eundemque Italiae proregem, pluriens dilaudavit.
- 4 De Latinae linguae in anatomicis studiis praestantia et necessitate p[re]electio habita in theatro anatomico Gymnasii Patavini XII Kal. Decembris MDCCXI a Floriano Caldani (Patavii, MDCCXII), pp. 31. Usus sum libello Guelpherbyti in bibliotheca Augustea servato.
- 5 Quo libello continentur epigrammata LXI commentariis illustrata, quae luserat ille in membra corporaque per annos amplius XX spirituosorum liquorum ope asservata.
- 6 Cf. T. Sacré, «Ab oblivione vindicentur Iosephi Favaro parerga», *Melissa*, 35 (1990), 8-9. ↗

DE LATINITATE SENTENTIAE

TRIUM AMICORUM

Ianus Di Censo Italus multum cogitat de lingua quadam universali. Hac de causa non solum est strenuus Latinitatis sautor, sed etiam callet linguam Esperanticam. Eadem de causa libenter exhortatur ad maximam Latinitatis simplicitatem.

Postquam eius symbolam accepimus, fortuito factum est ut iterum duae de eodem argumento sententiae ad nos ex Italia mitterentur. Hi tres Itali, quamquam sunt amicitia coniuncti, non assentiuntur de omnibus rebus; unusquisque sua Latinitate

exponit argumenta sua: Janus Di Censo linguam optat simplificatam, Vido Angelino novatam, Ioannes Giraldi integrum. Quae consilia legendo statim intellegeatis: nam eorum philosophia conspicitur in stilo, quo utuntur, tamquam in speculo.

Tota autem Melissa non sufficeret ad has tres symbolas ex toto edendas; quare eas partes excerpimus, quas iudicavimus maxime pertinere ad rei intelligentiam. Utinam et auctores et lectores nobis spatio carentibus veniam dare velint.

DE RE INTERLINGUISTICA

SCRIPSIT IANUS DI CENSO

QUID SIT INTERLINGUISTICA

Inter interlinguistas adhuc disputatur de finibus huius disciplinae et de quibusdam obiectis, quae non omnibus manifesta videntur.

Fictor huius termini, id est «interlinguistica», fuit Belga Iulius Meymanns, qui primus anno 1911 verbo usus est. Disciplina autem, abhinc saltem tria saecula exstat, ita ut pleno iure consideranda sit, sicut firmum speculativi cogitatus elementum quod problemata ad intellectionem inter gentes provehendam pertinentia investigat:

- a. Interlinguistica est scientia quae studio incumbit de interrelationibus inter linguas quarum causas et fines effodit.
- b. Interlinguistica est scientia quae in latissimo campo idiomatum principia exquirit quae ad evolutionem linguarum pertinent, consilio apta criteria adipiscendi ad linguas ethnicas corrigendas et linguas arte conficiendas.
- c. Interlinguistica minime singulas linguas, ethnicas et arte confectas, respicit (hic est campus singularum linguisticarum et linguisticae comparativae, necnon Esperantologiae, Volapucologiae, etc). Interlinguistica exquirit et colit partes communes existentes in humano idiomate, necnon leges quae conexus inter mentem et linguam regunt. Consilium est communia fundamenta agnoscere ad universam linguam struendam, quae maxime sit significans, opulenta, neutralis

ergo omnium et nullius, regularis ergo facilis, delectabilis ergo alliciens, quippe quae digna ad munus adsumatur totius mundi linguae auxiliariae.

Minime agitur de lingua perfecta exquirenda, sed de optimali usu, quantum fieri potest, universalium idiomatis et legum cogitatus. Ergo abeant lingua contradictiones, exceptiones, redundantiae.

Minime agitur de lingua universalis struenda ut linguis naturalibus substituatur, sed de medio auxiliario inter extraneos usurpando.

Minime de inventione metalinguae agitur, sed enimvero solum de superschemate, omnia universalia idiomatis amplectanti.

Surgit quaestio num classicae linguae, praecipue Latina lingua, verum obiectum interlinguisticae sint. De facto Latina lingua in studiis interlinguisticis praeminet, praesertim quod pertinet ad linguas arte confectas, quamquam eadem, etsi lingua maxime exornata est et ad quandam perfectionem cursu temporum ab auctoribus redacta, vix tamen lingua arte confecta dici potest. Non desunt nihilominus opiniones curiosae. E.g. Dante Alighieri, summus Italicus poeta, censet Latinam linguam grammaticam esse (cfr. De vulgari eloquentia), dum «vulgare illustrè» (scilicet lingua qua in Divina Comoedia utitur) vera lingua est! Quid dicam de Sanscritica lingua quae, ex denominatione, artificiosa videretur (samskrta



= in toto constructa)?

Nonnulli censem Latinam linguam extra campum versari, quod lingua viva unius populi erat, etiam nunc aliquatenus in coetu doctorum aegre supervivit, ergo lingua est quae non ad usum totius humani generis exorta sit. Sed haec opinio omnino sine fundamento esse videtur.

LINGUA LATINA IN RE INTERLINGUISTICA

1. *Latina lingua, per se ipsam, sicut lingua intergentica proponitur.* Dicendum etiam Latinam linguam maxima auctoritate, etsi non semper pari favore, apud doctos et indoctos perfrui, propter historicam partem cultus civili Europaei peractam. Adversarii, qui enimvero tales sunt aut propter pigritiam mentis, aut propter inscientiam, aut propter falsam persuasionem de illius potestate totum mundum modernum efficaciter respiciendi, sentiunt tamen vigorem huius linguae.

Problemata sunt neologismi et interna difficultas quae in quibusdam syntagmatis inest. Primum problema fere non existit quod arca radicum tam opulenta est ut facile videatur verba nova fingere normas grammaticae assectando. Quaestio de quibusdam syntacticis difficultatibus est difficilior, sed minime inenodabilis. Oportet, amissis veteris habitu tantummodo formas classicas assectandi et maiore flexibilitate recepta, solutiones agnoscantur quae agilius cum modo cogitandi moderno congruant.

2. *Latina lingua, sicut intergentica, in forma depravata proponitur.* Sub hoc prospectu duo greges linguarum sunt considerandi:

- lingua simplicior quam Latina, ergo demorphologizata, denique faciliter discenda et adhibenda;
- lingua arte confecta ex classicis schematis structa.

In primo grege sunt linguae quae illas partes morphologiae amiserunt, quae ex sententia auctorum inutiles ad interintellectionem tuendam sunt. Hoc dicatur de grammatical genere, de numerosis differentiis inter declinationes et coniugationes, de casibus per propositiones aut postpositiones tollendis, de exceptionibus, redundantiis, etc. In hac linea magnam invenimus traditionem quae ab abbe Labbé (1650) transit per propositionem Theodisci Carpophorophilus (1732), per maximum philosophum G. Leibnitz, per Georgium Henderson (1888), per Nov Latin Italicum D. Rosa (1890), usque ad «Latino sine flexione» maximi mathematici Iosephi Peano, quod ut maxima huius speciei propositio habendum est. Hae linguae non sunt vere arte confectae, quod agitur de simpliciore lingua Latina, de lingua depravata, quae nihil suae competentiae amittit, nisi elegantiae et sublimitatis, cum expulsio solum partes

morphologiae supervacaneas et inanes humanae intellectioni tangat.

Linguae secundi gregis sunt vere arte confectae, structae tamen ex Latinis schematis et lexico. Hic innumerabiles sunt propositiones, cum generatim historia interlinguistica etiam historia simplificationis Latinae linguae sit.

3. *Lingua Latina est arca immensa ex qua omnes decerpunt, linguae ethnicae et arte confectae.* Interlinguistae sicut periti scientiarum et technicarum se gerunt, qui, necessitate instante, plenis manibus e Latina lingua depromunt, ut nova utilia verba ad nova concepta et adumbrationes exprimendas condere possint.

*
* *

Fx argumentis dissertis patet Latinam linguam procul dubio gravissimum obiectum rei interlinguisticae esse.

Sed - et hoc ad falsa problemata pellit - quod obiectum rei interlinguisticae etiam aliae linguae sunt, e.g. Interlingua et Esperantum, accidit ut non sint pauci qui conflictum inter Latinam linguam et Esperanticam percipient. Non infrequenter interlinguistae colliduntur, unusquisque pro lingua selecta pugnans et sectatorem alterius linguae sicut hostem cavens. Ne dicam de sorte illorum qui pariter ambas linguis colunt! Facillime fiunt periuri utriusque gregis!

Enimvero Latina lingua est medium ideale et pragmaticum intellectionis et colligationis inter homines doctos totius mundi. Esperantum ex adverso est medium intellectionis inter gentes et popellos ex diversis linguis et contendit ad cultum novum condendum.

Ex nostro prospectu, lingua Latina etiam nunc corpus vivum videtur; ergo non agitur de lingua ex sola et pura forma classica quae - Plato est semper amicus sed magis amica sit veritas - iam nunc, cum proprio splendore et maiestate, ineluctabiliter nocte temporum tecta est. Nobis cara est forma classica, quae est pariter arca pulchritudinis et aeraria indiciorum ad paradigmata novanda; et nihil obstat quin intellegamus cordis rationes eorum qui se delectant munditia sonoritate luculentia illius linguae fruendo; tamen ex interlinguistico prospectu lingua Latina in motu sicut ceterae videnda.

Ergo non agitur de conflictu ob exclusivitatem, sed de collatione inter linguam doctam et demoticam populorum; et hoc gratia cultus provehendi augendi vulgandi minime impedit quominus res fructuosa et stimulis plena videatur. Sit demum bona pax inter inanis certantes pugnae et unusquisque finem supremum respiciat: emendationem idiomatis ut homines inter se facilius et melius intellegant! ☺

DE NEOLOGISMIS LATINIS

SCRIPSIT VIDO ANGELINO

Unus ex muneribus maioris ponderis et maioris aleae quae ad neolatinistas pertinent est, ut ita dicam, fabricatio neologismorum. Agitur de torrente vocabulorum quod confluat et suas aquas confundat cum amplissimo flumine Latinitatis Romanae. Oritur ita sermo Latinus locupletior, mira et audax mixtio antiqui et moderni (Cassiod.), quo possimus exprimere adaequate res et eventus et cogitata nostrae aetatis.

Ante omnia vero nobis est quaerendum quo iure sumamus nobis hanc arduam facultatem excudendi neologismos.

Fingamus Caesarem vel Tacitum permiraculum hodie resumere vitam; nonne ante innumeratas novas res et machinas impellerentur, ut possent sua cogitata patefacere, ad eas significandas Latine, fruentes et aptantes lexicon Latinum? Obiciunt autem: At haec est fictio irrealis, respondebo: Procul dubio, sed si nequeunt reviviscere Caesar et Tacitus, existimus nos, qui sumus quodammodo eorum vicarii, eorum succedanei: homo Europaeus per saecula habuit commercium cum eorum lingua, cum eorum cultura. Habemus intellectus diversos, at parum diversos. Possumus ergo iure considerari eorum heredes substituti et fingere, loco eorum, omnes neologismos Latinos qui permittant nostro neolatino ut exprimat vitam hodiernam in tota sua amplitudine et multiplicitate (Aug.).

Ceterum hodie nonne omnes societas, quas industrielles vocant, habent proprium, ut aiunt, «Comitato tecnico-linguistico» cuius munus est confidere nova vocabula quibus nominentur novae res et machinae earumque partes?

Sed non solum magnae quaestuosaes societas premuntur necessitate excudendi nova vocabula, sed hodie quaelibet lingua, quippe res viva, propter irrefrenabilem (Chalcid.) progressum scientiarum, technologiae et institutionum, ineluctabili necessitate cogitur ad effingendos neologismos.

Nihil mirum ergo si neolatinistae quoque neologismos excudere coguntur.

*
* *

Nunc autem inspiciamus attentius haec nova innumera virgulta Latina. Mea quidem sententia, eorum existunt quinque species:

PRIMA coacervat vocabula quae componuntur verbis Latinis aut Graecis aut mixta utraque lingua quo-

rum numerus est vere ingentissimus. Possumus eos vocare neologismos "adoptivos": *helicopterum*, *telephonum*, *microscopium electronicum*, *cardiologus*... Quodam die sermocinabar cum meo odontoiatra de Latino vivo. «Sed quomodo - ille (Italice nempe) rogavit - possunt verti Latine "televisione, electromagnetismo" et innumera alia eiusmodi vocabula, quae hodie adhibemus saepissime?». Ille utique putabat has res novas exprimendas esse per arduas et tortuosas circumlocutiones. Ei respondi: «Res est simplicissima: "televisio, electromagnetismus". Adhibentes in nostro Latino vivo haec verba quae componuntur radicibus Graecis vel Latinis, nos nihil aliud denique facimus quam reddimus Caesari quod est Caesaris».

SECUNDA congregat neologismos quos "meros" nominaverim. Agitur de neologismis qui reddunt aliquam rem novam fruentes ipsa lingua Latina, eleganter aptata. Oriuntur sic neologismi qui se nobis offerunt indutos nitida veste Latina et praeditos grato Latino sapore: *nubeculati libelli* (*fumetti*), *domuncula vectabilis* (*roulotte*), *segmentulae* (*tagliatelle*), *libellus periegeticus* (*guida del touring*)...

TERTIA constat neologismis quos vocaverim "semanticos", vocabula nempe quorum significatio, saeculis labentibus, faeta est amplior et divitior: *cellula* - Latine = parva cella; *hodie* = primordia cuiusque animantis. *missilia* - Latine = quaelibet arma quae proiciuntur; *hodie* = illa automata aera transvolantia, materiis praedita explodentibus.

QUARTA colligit neologismos, quos appellaverim "derivativos" (Cassiod.). Agitur de vocabulis quae non inveniuntur in scriptoribus Latinis, dicamus usque ad Isidorum Hispalensem (636 p.Chr.n.), sed quae possunt legitime et fere sponte extrahi a sua cuiusque familia. Opus est autem ea se offerant nostris hodiernis auribus praedita sincero sapore Latino, atque hic praesertim necesse est cauta et callida moderatio una cum ingeniosa subtilitate: *intoxicare* - *detoxicare* cfr. 'toxicum'.

EXTREMA classis comprehendit neologismos quos lepide vocaverim "ineluctabiles": *dollarium*, *tabacum*...

*
* *

Si vero lingua Latina viva diffundatur per Europam et vere fiat lingua vehicularis, colloquialis Europaeorum, tunc, sicut quaelibet lingua viva, fiet sponte creatrix et etiam ista hyspida vocabula

novis vocabulis substituentur, effectis ingeniosa atque improvisa mentis fulguratione ab aliquo neolatinista, uberi doctrina exornato atque subtili imaginificaque vi. ☀

DE LINGUA LATINA AD SODALES

SCRIPSIT IOANNES GIRALDI

Domino Iano Censorio (Italice Di Censo) et Domino Guidoni Angelino Occimianensi omnibusque sodalibus Mediolanensibus et Bergomatibus salutem dicit Ioannes Giraldus Intemeliensis.

Res de qua agitur in epistula est de Latinitate colenda **recte**. Sinite me, sodales carissimi, quae de re tanta sentiam dicere; dicam libenter, audacter si vultis, tamen demisse.

Abhinc aliquot annos personare audio cantilenam quandam, suavem concedo, attamen nullo modo probandam mihi: asserere soletis paradoxum rotundum: necesse esse doctorum hominum coetum in suis rebus Latina lingua uti ubique, tam in scientiarum lucubrationibus quam in rerum publicarum ambiguis emulsionibus; inde sodales insectantur: In Europa proxime instruenda classicorum auctorum doctrinas, animos, spiritalem gratiam elicere copiose.

Cantilena, quae gradus antea alacriter dein modice scandit, in pedibus stans, ita modulatur rythmos consentaneos: Nolumus auctores novos uti lingua Ciceronis locupletissima, exundanti, laticlavio idonea; contra, scribant vel loquantur, qui nova veteribus addere cupiunt, humili stylo, quo facilius universi sua dicere et audire valeant, thesauro verborum antiquo neologismis referto, veterum tamen grammatica et syntaxi stricte servatis.

Novi haec omnia, novique tormenta a multis prolata in obsidionem non adnuentium, in quibus me numerare licet.

Pro certo habeo, sodales carissimi, humilitatem styli enitere posse in exitu laboris, numquam in exordio artis; quit plane dicere qui multum sudavit et alsit in addiscenda omni perspicuitate styli. Tandem, queso, quis tantum ingenium, quis tantam sedulitatem, quis tantam demum obstinationem exhibeat in assequendo Latinae linguae thesauro verborum, in perscrutanda flexionum ductilitate, in auscultanda periodorum musicali pulsione?

Certe vos, amici doctissimi, ab unguiculis operosiores, doctissima haec secreta et delicias ingentes estis consecuti, sed pusillus grex

depascitur in Musarum pratis viridantibus; quidam, de grege externo, Latinitatis concupiscentiam quandam confitentur, in quibus desiderium maius, possessio minor.

Quitanta ingluvie persequimur Latinae linguae auctores, omnes, ut uno verbo colligere valeam, viri sumus Epicurei; omnes emunctis naribus dulcissimos Musarum odores carpere solemus. Omnes legimus cupidi, beati gaudentes Musarum donis amabiliорibus. Voluptuosi lectores insectamur vatum oratorumque (in his etiam historiarum scriptores, si vera est Ciceronis sententia «historia opus oratorium maxime») munditias; si incidere detur in verbum «insuetum atque inopinatum» (ut Fronto orator monuerat Marco Aurelio adulescentulo), subter lineare et colligere fas est solliciter; gulæ adsunt irritamenta profana, adsunt et irritamenta gulæ spiritalis; Epicureismus spirat vere *atmosphericus* (si licet mi uti verbo quod repperi in philosopho vigilantissimo Francorum nomine Le Senne).

Hinc pendet mea vox solitaria: Cultoribus sectatoribusque Latinae linguae suasionem faciam nisi continuo: promere carmina nova; dent nobis paginas etiam oratione soluta; ad semper adsit cura dicendi callidissime, vel si libeat religionis pangere cantica, vel si feminarum blandimenta levia et ludicra modulari, vel si amicis et sodalibus epistulas de quovis argumento tractantes; aliquid semper novi addatur veterum auctorum operibus.

* * *

Sodales, optimi viri optimaque mulieres, qui vultis Latinam linguam denuo esse in usu universalis gentium recentium et futurarum, impossibilia possibilia facitis, non concedenda percontamini, incerta pro certa cogitatis, demum, desperanda speratis. ☀

LATINITATIS VARIAE

VARIORUM AUCTORUM EXEMPLA

Quid de lectoribus nostris? Suntne post tot tantaque perfecta defatigati? Ad animos

relaxandos nunc proponimus varia variae Latinitatis exempla.

LATINITAS NUBECULATA



Hergé, *De Titini et Miluli facinoribus. De Sigaris Pharaonis*, in *Latinum convertit Caelestis Eichenseer*, Tornaci ed. Eli/Casterman, 1990.

LATINITAS DIURNARIA

13.8.1993.

Aeroplanum insecuriorum Suecum ex nota JAS 39 Gripen spectaculo aero media urbe Stockholmia facto in terram decidit et igne correptum est. Piloti sella catapultaria usus vitam servavit et tantum leviter vulneratus est. Mirum

est neminem illa clade mortuum esse, cum loco calamitatis quingenta milia (500.000) spectatorum essent.

Finni facultates habent ad infantes bello Bosniae-Herzegovinae sauciatos excipiendos, ut ait Jorma Huuhtanen, minister rei socialis et

sanitatis. Consilium de ea re facile capi posse, quod ex pecunia publica profugis reservata adhuc decem miliones (10.000.000) marcarum reliquae sint. Ordo Unitarum Nationum profugis adiuvandis nationes occidentales appellavit, ut infantibus aegris succurrerent.

Cyanophyta sive algae marinae cyaneae hoc anno in Sinu Finnico et etiam in Mari Baltico septentrionali copiosissime natae sunt, ut ex

Instituto mari scrutando nuntiatur. Itaque magistratus cives monent, ne in aquis cyanophytis abundantibus natent. Periculum enim est, ne dermatitium accipiant aut alga venenosa in os illata intoxicatione fecoris afficiantur.

T. PEKKANEN, R. PITKARANTA, *Nuntii Latini II*, Helsinki, ed. Suomalaisen Kirjallisuuden Seura, 1993, p. 214.

LATINITAS OBSEQUIOSA

LUDOVICO XIV GALLIARUM ET NAVARRAE REGI
CHRISTIANISSIMO

CHRISTIANISSIME REX,
non defuere ab excessu parentis tui
qui in primo regni limine adoraverint
Maiestatem tuam, ut Persae orientem
solem; agnovere omnes in puerō Regem,
in Rege Deum, namque a Deo datus es; nemo
habuit quod offerret; ecce altari tuo advolvor et
appendo Imaginem quae tibi gentilicia est: accipe
quas tibi primitias offero ex fundo tuo. Herculis
Gallici labores continet haec tabella. Ad monstra
circum exanima, ad ferocem Herois aspectum
horrescunt totus et consternaris? Pone timorimodum,
Regie Puer; iste Heros, etsi ex laboribus apud
omnes audit pro Hercule, Ludovicus est, ille idem
qui molliendis imperii curis tecum nuper ludere
solitus in recessu; hic idem, qui te e collo suo

pendulum iisdem saepe sustinuit brachiis queis
librabat Europam omnem; agnosce sub leonis
exuvio Ludovicum, agnosce patrem; venerare quem
adorat orbis; procumbe ante patris imaginem, pietas
erit; incalesce ad aspectum virtutis heroicae, erit
aemulatio; amplexare et imprimere osculum, erit
amor; hic unus tibi instar omnium est. Evolve hunc
historiae codicem et sperne quaecumque antiquitas
protulit: quid Graeca, quid Romana historia opus
tibi, si exemplo domestico dignius informaris?
Alexandros et Caesares in Ludovico habes: patrem
sequere, et eris Alexander, qua monstrat viam
perge intrepidus, et eris Caesar. Accipio omen, eris
Caesar.

*Historiarum Galliae ab excessu Henrici IV
libri XVIII, auctore Gabr. Bartholomaeo
Gramondo, Amstelodami apud Ludovicum
Elzevirium, 1653.*

LATINITAS MATHEMATICA

DE DIFFICULTATE LIBRORUM MATHEMATICORUM
SCRIBENDORUM

Durissima est hodie condicio scribendi
libros mathematicos, praecipue
astronomicos. Nisi enim servaveris
genuinam subtilitatem propositionum,
instructionum, demonstrationum,
conclusionum, liber non erit mathematicus; sin
autem servaveris, lectio efficitur morosissima,
praesertim in Latina lingua, quae caret articulis et
illa gratia quam habet Graeca, cum per signa
litteraria loquitur. Adeoque hodie perquam pauci
sunt lectores idonei; ceteri in commune respouunt.
Quotusquisque mathematicorum est, qui tolerat
laborem perlegendi Appollonii Pergaei Conica? Est
tamen illa materia ex eo rerum genere, quod longe

facilius exprimitur figuris et lineis quam
astronomica.


Ipse ego, qui mathematicus audio, hoc meum
opus relegens satisco viribus cerebri, dum ex figuris
ad mentem revoco sensus demonstrationum, quos
a mente in figuras et textum ipse ego primitus
induxeram. Dum igitur medeor obscuritati
materiae, insertis circumlocutionibus, iam mihi
contrario vitio videor in re mathematica loquax.

Et habet ipsa etiam prolixitas phrasium suam
obscuritatem, non minorem quam concisa brevitas.
Haec mentis oculos effugit, illa distrahit; eget haec
luce, illa splendoris copia laborat; hic non movetur
visus, illic plane excaecatur.

Ioannis Kepleri Astronomia nova, 1609.

LATINITAS GEOMETRICA

Tabula Septima



LATINITAS PETRONIANA

Arrius Nurus (1907-1979) ultimis vitae annis conscribere coepit suavissimum Supplementum Petronianum, cuius excerpta vobis hic proponimus.

Tunc vero, cum annos sedecim explevissemus, casus calamitosissimus nos omnes corripuit vitaequ meae cursum in perpetuum perturbavit. Ego et Marcus thermas Stabianas intravimus: Marcus, aliquantum iam potus, superba voce me vestes suas capsarii more custodire iussit, et cum servile munus recusavissem, pugnis calcibusque me invadere coepit. Furentem, qui prae iracundia apud se non erat, repello: pedem offendit et tam male supinus cadit ut calva confracta ilico spiritum effundat. Attonitus et defixus consisto: accurrint balneatores qui frustra curationem ad corpus exanimum adhibere temptant. Tum demum dolorem in lacrimarum mare effundo: pristinae fraternitatis, pueritiae communis, temporis feliciter exacti memor fratricidii me ipsum damno. Ad mortem viam quaero, supplicium lacrimans posco.

Circumstabant omnes, inter eos patres familias
mihi bene volentes. Consolabantur desperatum: se
cunctos testes adfuisse: casu, non consilio
calamitatem evenisse, me vim illatam ne vi quidem
sed me defendendo reppulisse. Nonnulli autem,
quibus Terentius non ignotus erat, pro me solliciti
fugam suadebant: quid enim Terentius, dolore et
ira severitatem inflammante, acturus sit, incertum
esse; immo, prima commotum ira gravius quid in
me consulere posse. Ira cunctiae patris filio orbati
pro tempore cedere prudentis esse, donec primo

PROBLEMA SEPTIMUM.

Pº. Invenire distantiam duorum obiectorum, quorum alterutrum tantum est accessible (Fig. 1 Tab. 7).

R°. Sint objecta AB quorum B tantum accedi potest. Eligatur statio communis C et ducatur recta CB, quae producatur, donec sit aequalis CX; fiat etiam recta AC, mensuretur angulus B, et fiat ipsi aequalis angulus X, tum producatur recta AC donec concurrat cum linea XI, dabit XI distantiam quaesitam.

Faciliora geometriae planae elementa in usum
studiosae iuuentutis Belgicae, opera J.J.
Rombouts, Gandavi, typis C.J. Fernand,
1780.

dolore temperato innocenti veniam dedisset.

«Sed quo me vertam?» clamo, «qui sine opibus,
sine amicis nudus ambulo?» Miserebat illos iuvenis
lacrimantis: cruminam haud inanem furtim mihi
suggerit quidam et insusurrat, «Romam pete vel
Neapolim: tutior in magna urbe latebis.» Iam nuntius
tristis domum ferebatur: morandi tempus non
erat.

Excessi, evasi, erupi velut alter Orestes,
instat Erinnys atrox, non fugienda cohors.
Conscia mens facti cruciatur: flebilis angor
constringit pectus nocte dieque rei.

Quid autem domi actum sit, multo post denique
comperi. Terentius paralysi correptus aliquot dies
misere et elinguis vitam trahebat, antequam
ultimum spiritum redderet; testamentum Livia
clam removit ita ut ad hunc diem nesciam utrum
mei non immemor fuerit pater. Matrem autem -
non illam posthac vidi - Livia ignominiose a tota
familia conspui forasque eici iussit. «Quid feci?
nihil feci,» cum gemitu flebat misera. «Cum
nequissimo spurio conspiravisti, ut filio meo per
vim et insidias occiso re nostra potireris,» respondit
illa, Furiae revera simillima. Crimen in Aglaiam
inserre tot testibus contradicentibus nequivat; me
tamen ut servum fugitivum praemandatis
requirebat. Haec omnia multo post comperi, cum
mater miserrima de vita migrasset - veneno, ut
rumor serebat, interfecta. Livia autem non multo
post ipsa interiit: crudelissima ac revera mente

capta in servos saeviebat, tortorem in familiam recepit qui tandem verberando defessus munere deficere cogebatur. Accidit ut illa in cathedra trans pontem portaretur: lecticarii Cappadoces, seu consulto seu (id quod iurabant) vestigiis falsi cum lectica in aquam ceciderunt. Nando se servavere, Livia piscibus esca fuit.

Haec omnia ignorabam, cum e municipio fugerem. Neque Romam tamen neque Neapolim

petere constitui, quia ipsos suasores quo me vertissem patefacere posse metuebam. Puteolos itaque gressus tendo: forsitan navim condescendere ac trans mare fugere liceret.

H.C. Schnurr, *Pegasus Devocatus, ed. cura et opera Gilberti Tournoy et Theodorici Sacré, Supplementa Humanistica Lovaniensia VII, Lovaniū, University Press, 1992, p. 132-133.*

LATINITAS EXERCITATORIA

DE PUBLICIS SCHOLAE EXERCITATIONIBUS.

Latine loquendi consuetudo quam diligentissime retineatur et variis artibus inter pueros foveatur. Latine libenter et facile loquentur, si loquendi formulas elegantes habeant explicatas a praceptoribus bonis et propriis verbis. Inviti enim eloquimur, quae nos improprie aut inepte dicturos metuimus. Neque fuerit inutile formulas aliquot proponere pueris, quibus in lusu, quibus in congressu, quibus aliis in rebus ac locis uti debeant.

Dabit operam magister ipse, ut quam poterit

emendatissime loquatur: loquentes discipulos ultro collaudabit, si quid dictum erit aptius; aut emendabit, cum errabunt. Iuvabit et illud, si propositis praemiolis aut poenis, velut ex lege provocentur, ut ipsi quoque inter se aliis alium emendent, et eruditiores nonnulli diligentur qui controversiam finiant.

Christianis litterarum magistris de ratione discendi et docendi, Parisiū 1692, p. 99.

LATINITAS ... ???

Hoc exemplum denique ostendimus "propter ridere" (sic licet, semel quidem, uti Latinitate temporis Sancti Benedicti). Nam textus, qui subiungitur, non est Latine scriptus, sed lingua universalis SPL sive SImp-Latina, quae constat ex elementis Latinis valde multum simplificatis. Ergo cavete cavete, atque nolite has lineas imprudenter tradere manibus discipulorum.

Etiam si grammatica SPL vobis est ignota, rem sine difficultate intellegitis... atque textum legentes regulas grammaticas per ludum poteritis invenire!

Olim ante multi anni bar habitat pauper et bonus vir in terra, quae abest longe ab America. Hic vir bar appellatur Ali Baba.

In hiems Ali Baba fin vadit cum equus in silva uti conducere lignum. Multum lignum fin ponitur in equus et negotium pene fin agitur cum subito multae voces audiuntur. Ali Baba fin abdit equus cum celeritas et fin ascendit alta arbor.

Voces appropinquant ad alta arbor. Finitimum al arbor est magnum saxum, circum quod convenit magnus numerus di homines et equi.

Ali Baba spectat eos de alta arbor. Quot sunt? Unus, duo, tres... decem... quadraginta! Qui sunt hi barbari homines? Habent horrida capita, aspera

vestimenta et inimica arma. Sunt latrones certe. Quid portant in equi? Nullum lignum certe. Lignum non apportatur in silva. Estne frumentum? Silva est iniquus locus al frumentum. Quid potest esse?

Tandem signum fin datur con barbara lingua a dux di latrones. Magnum saxum fin movetur sine auxilium di homines et fin videtur alta et nigra caverna. Quadraginta latrones coguntur cum impedimenta in haec caverna.

Mox latrones excedunt e caverna et saxum remittitur con signum di dux sine auxilium di homines.

Cum voces di latrones amittuntur longe, tum Ali Baba descendit de alta arbor. Vadit ad magnum saxum et dat signum quod tenet in memoria. Saxum respondeat et solus vir properat in media caverna.

Multa pecunia invenitur. Totum lignum relinquitur et tota pecunia ponitur in equus. (...)

Sed quid de latrones? Haec est alia fabula, quam fut narramus mox.

R. Dominicus, *SPL, an international language based on Simplified Latin, Wisconsin, 1982, p. 71-73.*



LATINITAS VIVA

UBI COLATUR

SEMINARIA LATINA

Latine loqui docere: hic est scopus seminariorum a Societate Latina institutorum. Eorum peritissimus moderator est Dr P.C. Eichenseer, qui iam ab anno 1973 talibus seminariis innumeros homines induxit ut Latine loquerentur. Elus cooperatrix D.rix Sigrides Albert iuniores separatim curat atque delectabiliter impellit in colloquia Latine habenda.

Duo seminaria anno 1994 fient:

Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 17 in diem 23 mensis Iulii

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM
Universität - FR 6.3
Postfach 1150
D-66041 Saarbrücken

Vavriae (Wavre) in Belgica a die 5 in diem 12 mensis Augusti

Scribatis ad: Gaium LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles

SEPTIMANA AMOENEBURGENSIS

Fiet a die 31 mensis Iulii in diem 6 mensis Augusti. Participibus proponentur colloquia, ludi, convivia, modi musici et etiam res coquinariae Romanae.

Scribatis ad: Robertum MAIER
Dresdener Strasse, 10
D-63225 Langen

L.U.P.A.E SEMINARIUM PRAGENSE

Fiet a die 30 mensis Iulii in diem 6 mensis Augusti. Praeter sermones, orationes, disputationes cantus, concentus, excursiones Pragae offeruntur. Tirones etiam exspectantur, atque Graece licebit loqui.

Scribatis ad: Marium ALEXA
Burgstrasse, 3
D-59368 Werne

FERIAE LATINAЕ

a Dre Suitberto Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt 'Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiciacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo...'

Feriae Tinienses a die 16 in diem 23 mensis Iulii

Scribatis ad: Felicem W. KUCHER
Kat. dom prosvete
A-9121 Tainach/Tinje

Feriae Nicense a die 21 in diem 28 mensis Augusti

Scribatis ad: Clementem DESESSARD
Résidence des Collines, C9
500, Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu

Feriae Syracusanae a die 3 in diem 10 m. Septembbris

Scribatis ad: Georgium Di Maria
Via Resuttana, 352
I-90146 Palermo